



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,  
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacræ  
Theologiæ Professoris, Cursvs Philosophicvs Vniversvs**

**Carleton, Thomas Compton**

**Antverpiæ, M.DC.XCVII.**

Disputat. XXXIII. De spatio Imaginario.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)



argumentandi modo inferantur.

Dico itaque, verè aliquid percipere, habere duplicem sensum: primò, ita ut solum significet tale quid menti observari: & hoc sensu, qui Anti-Christum concipit jam existere, aut aliud hujusmodi, verè isthæc percipit, quia verè objecta illa apprehendit. Secundo & præcipuè, verè aliquid percipere est actum, quod id ita se habere asserimus, seu judicamus, esse verum: dicere autem hoc sensu nos verè percipere mundum esse infinitum, est petere, ut aiunt, principium, seu illud assumere tanquam verum, quod est in questione; quærimus enim in præsentia an actus ille sit verus, seu, in objectum ita se habeat, sicut actus affirmat, & negamus ita se habere, imò argumentis supra positis clarè probatur actum illum esse falsum.

Dices; spatia illa concipimus extensa, longa, lata, & profunda, ergo sunt corpus. Contrà, Angelos,

imò Deum ipsum concipimus instar corporis, & varias quasi partes habentem, nec alio modo anima hic corpori affixa concipere eum potest, ergo eodem argumento quis intulerit Deum esse corpus. Spatia ergo illa supra cælum Empyreum, vel nihil omnino sunt, ut multi probabiliter affirmant, vel ad summum sunt negationes: de quo disp. sequente. Ideo autem hæc concipimus instar corporis, quia cum omnis nostra cognitio pro hoc statu sit abstractiva, seu habeatur per sensus, sensibus autem nihil percipimus præter corpora, seu res corporeas, ideo etiam mente ea instar corporum concipimus; cum tamen ipsa corpora non sint. Et hinc deceptus est hic auctor, quòd quidquid instar corporis concipitur, corpus putet. Quæ sine dubio periculosissima est persuasio, & nisi corrigatur, in plurimos, & perniciosissimos errores hominem paulatim ducet.

Non quia concipitur instar corporis, est corpus.

Vnde deceptus sit hic auctor.

# DISPUTATIO XXXIII.

## De spatio imaginario.

Res hæc, utpote imaginaria, variis variis imaginandi occasionem præbuit. Constat verò imprimis, spatium imaginarium non esse quid reale positivum, primò, quia imaginarium, deinde fuit ante mundum conditum, nihil autem reale tunc etitit præter Deum. Ita extra cælum empyreum sunt modò spatia imaginaria in immensum undique diffusa, in quibus nihil est reale, ergo spatium imaginarium non est quid reale positivum.

possibilem ejusmodi molis corporeæ. Ita P. Hurtad. d. 14. Phy. f. 2. quem multi sequuntur. Sed contrà primò, spatium imaginarium debet esse quid actu, cum res in illo actu existant, sed res vel ubicatio merè possibiles, non sunt quid actu, ergo. Dices; sunt actu possibiles. Contrà, hoc perinde est atque si quis dicat, sunt actu non actu, quæ videtur implicatio in terminis, cum possibilitas mera excludat omnem actualitatem.

Non est in mensa moles corporeæ possibilis.

### SECTIO PRIMA.

#### Variæ opiniones circa spatium imaginarium.

I. Primò, volunt nonnulli spatium imaginarium esse merè quid fictum, & tantum habere esse objective in intellectu, ita P. Val. 1. p. d. 29. c. 3. n. 11. & 12. P. Arriaga d. 14. Phy. f. 3. n. 62. & P. Ov. Con. 15. Phy. p. 2. d. 1. Contrà primò, nemine cogitante Petrus est in loco, seu affixus spatio imaginario. Contrà secundò, extra cælum empyreum, imò ab æterno erant spatia imaginaria, quando tamen nullus erat intellectus fingens. Contrà tertio, sectione sequente ostendam esse aliquid existens nemine cogitante. Contrà quartò, Arriaga citatus l. 4. n. 69. ait Deum defacto esse in spatiis imaginariis, Deus autem non est in Chimæris, nec eger intellectu fingente ut sit in his spatiis, in quibus fuit ab æterno. Contrà quinto, spatium imaginarium debet esse quid fixum & immobile, sed ens rationis cessante actu intellectus cessat, ergo in eo non est situm spatium imaginarium.

II. Secunda sententia est asserentium spatium imaginarium esse negationem rei vel illius ubicationis. Sed nisi aliud addatur, contrà est, nam res ubicata debet esse præsens spatio imaginario, sed nulla res est, vel esse potest præsens negationi sui, sic enim in eodem spatio idem simul esset & non esset, ergo. Confirmatur, spatium imaginarium debet esse quid fixum, & nullà vi tollibile, ergo non est hujusmodi negatio, cum hæc de facto, posità re, tollatur necessariò eo saltem loco quo res constituitur.

III. Tertio, alij spatium imaginarium esse dicunt immensam aliquam molem corpoream merè possibilem, undique in infinitum diffusam, vel ubicationem

Secundò impugnatur, hac ratione idem esse spatium imaginarium, & reale, patet, hæc enim ubicatio & moles antea possibilis, quando producitur, fit realis, estque eadem numero existens & possibilis, & consequenter ubicatio illi & moles antea spatium imaginarium, jam fit reale, sicque non convenit ipsi una ex proprietatibus spatij imaginarij, nempe, ut non sit tollibile, tollitur enim res de purè possibili, dum fit actualis, & existens.

Quartò, recentiores aliqui secuti P. Lessium l. 2. de Perfectionibus Divinis, c. 2. dicunt, spatium imaginarium esse ipsum Deum, qui secundum immensitatem suam, est ubique seu infinite necessariò diffusus, & licet realiter idem, est tamen virtualiter seu eminentialiter multiplex, & diversus pro singulis minimis partibus & punctis spatij, sicque enim figi in spatio imaginario, esse affigi & correspondere tali vel tali virtuali extensioni immensitatis Divinæ. Sed contrà, nam est celebris quæstio inter Theologos utrum Deus sit in spatiis imaginariis extra cælum, quæ tamen quæstio esset omnino vana, si per spatium imaginarium intelligeretur ipse Deus, sic enim quæreretur utrum Deus esset in seipso, de quo nemo dubitat; ulterius ergo quærent utrum Deus per immensitatem alteri alicui præter se extra cælum empyreum correspondeat.

Quidquid ergo sit utrum possint variæ proprietates spatij imaginarij convenire Deo ob immensitatem ejus & eminentialem ubique præsentiam, Deus tamen non est spatium illud quod hic inquirunt Philosophi & Theologi in quæstione proposità. Aliud proinde investigandum.

Quintò, alij spatium imaginarium omnino tollendum censent. Essentiam verò ubicationis hoc modo explicant; dicunt ubicationem Romanam ex. g. illius esse naturæ, ut petat in actu primo essentialiter tantum distare ab omni alia ubicatione non Romanâ, nempe ut possit tantum spatij interjici inter illam

IV.

V. Nonnulli Deum esse spatium imaginarium.

Resellitur.

VI.

VII. Aliqui ne sunt spatium imaginarium.



Quomodo  
ibi explicent  
essentiam  
ubicationis.

illam & ubicationem Leodiensem, Parisiensem, Mexicanam &c. ita ut nec per Divinam potentiam possint esse ullæ duæ ex istis ubicationibus, & non esse fundamentum talis distantie. Non tamen hoc ita intelligendum est, ut una ubicatio existere actu non possit sine aliâ, sed, ut in actu primo petat ubicatio A ex.g. quodcumque existit alia ubicatio, tantum distare ab ea, & nec plus nec minus. Unde immensitatem Dei differre hoc titulo dicunt ab omni ubicatione creatâ, quod ubicatio creata sit fundamentum distantie ab aliis multis ubicationibus, immensitas verò Dei sit fundamentum indistantie, talis quippe est naturæ ut petat essentialiter esse præsens omni ubicationi possibili, quodcumque ponitur extra causas. Hanc sententiam multi amplectuntur ex recentioribus, & favere videtur P. Hurtado citatus.

VIII.  
Hæc sententia, licet probabilis, non satisfacet.

Hic modus dicendi non est improbabilis: in eo tamen displicet quòd secundum illum dici non possit propriè rem esse hic aut ibi, nisi ad summum consecutivè, & quasi argutivè, nempe, si tantum distet ab omni aliâ ubicatione, consequenter esse hic. Ad do, in hac sententia nec consecutivè dici rem esse posse hic, cum rem esse hic sit esse in hoc loco, si ergo locus omnino non sit, non potest omnino dici esse hic: si autem velint, esse hic dicere solum petere tanto intervallo distare ab omni aliâ ubicatione, est contra communem conceptum omnium, qui rem esse hic concipiunt independenter ab omni aliâ ubicatione, imò si omnis alia ubicatio esset impossibilis, non tolleretur conceptus existendi hic, quid enim refert ut Petrus sit Leodij, utrum Paulus possit, vel non possit esse Romæ? Nec cum quis dicit, Petrus est hic, unquam cogitat de ullo alio loco, sed solum de hoc, in quo affirmat Petrum existere.

IX.  
Volumus a-  
liqui spatum  
imaginarium  
esse negationem  
Chimæras.

Sextus modus dicendi est aliorum asserentium, spatium imaginariū esse negationem Chimæras, hippocervi v.g. vel alterius similis: hæc enim negatio est ubique diffusa, cum nullibi sit hippocervus, & tolli non potest cum sit negatio rei impossibilis, ergo &c. Sed contra, nihil commercij mundo reali cum entibus rationis, sed sua omnia intra se habent res reales independenter ab illis, vel illarum negationibus, unde si aliquid aliud assignari probabiliter possit pro spatio imaginario, non est recurrendum ad Chimæras.

SECTIO II.

Vera sententia de spatio imaginario.

I.  
Spatium  
imaginarium  
est  
negatio non  
tollibilis  
ubicationis  
realis.

Dico itaque spatium imaginariū esse negationem non tollibilem ubicationis realis. Explicatur conclusio: ubicatio Romana Petri v.g. non potest esse alio loco quàm Romæ, unde negatio illius ubicationis est ubique seu undique diffusa, ubicunque non est ubicatio illa Romana Petri, cum ubicunque non est forma positiva, sit illius negatio, ubique enim esse debet vel forma positiva, vel illius contradictorium, ut in Logica probavimus. 18. l. 9. ubi ergo potest poni hæc ubicatio, negatio illius est tollibilis, ubi non potest poni, non est tollibilis, cum tolli nequeat nisi per positionem formæ, quam negat. Ad cujus pleniorē intelligentiam, & simul probationem conclusionis.

II.  
Conditiones  
ad spatium  
imaginarium  
ven-  
quisita.

Notandum quæ conditiones requirantur ad spatium imaginariū. Primò spatium imaginariū esse debet quid infinite suo modo diffusum, idque non versum unam tantum partem, sed omnes, ac proinde trinè dimensum, seu extensum versus longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Secundò, debet item esse fixum, permanens, & immobile, ita ut

nullâ vi aut ratione tolli possit. Tertio, suo etiam modo debet esse æternum. Quarto, esse debet capax corporis, non tamen simul duorum corporum impenetrabilem. Quinto, habere debet diversas partes, vel quasi partes heterogeneas, quibus res positivæ, & reales diversimodè correspondere possint. Has autem omnes condiciones conveniri negationi ubicationis, quam ponimus pro spatio imaginario, disputationis decursu constabit.

Notandum secundò, in hoc convenire omnes negationes, ut communis habet sententia, quòd sint per se in loco, seu sua ubicatio, ac proinde modò sunt, & ab æterno fuerunt per se ubique diffuse, secundum diversas partes heterogeneas, ita ut nullæ duæ negationes alicujus partes sint omninò similes, cum petat una non esse ubi est alia, ac proinde ex hoc capite est aliqua inter eas varietas, ac dissimilitudo, licet in ratione contradicendi præcisè seu in quantum respiciunt rem quam negant, participant eandem rationem, nec ullam inter eas sit diversitas.

Quòd si cuiquam non placeat (sicut nec mihi videtur necessarium) omnes negationes esse in loco per se, & habere hujusmodi partes heterogeneas, dicere poterit, sicut res à loco absolutæ, ut aqua, ferrum, ignis, &c. sunt in loco per ubicationes à se distinctas, ita negationes harum rerum esse in loco per negationes earundem ubicationum: ac proinde solas negationes ubicationum habere partes heterogeneas, certo loco affixas. Quod mihi videtur probabilius.

Notandum tertio, non qualvis negationes aptas esse ut constituent spatium imaginariū, cum duæ ex præcipuis conditionibus iis desint, nempe ut habeant partes heterogeneas, & ut non sint tollibiles: negationes enim rerum absolutarum, ut ignis, aqua, &c. sunt, vel secundum omnes partes simul tollibiles, in sententiâ concedente infinito actu, vel saltem secundum quassibet, in sententiâ infinito negante, ita ut producto igne, nulla illis negatio illic maneat ubi ignis producitur: At cum ubicationes non sint formæ absolutæ, sed certo loco alligatæ, non possunt poni ubique, nec in ullo alio loco, præterquam in eo, quem ex naturâ suâ respiciunt, & consequenter earum negatio nisi eo loco tolli nequit.

Notandum quartò, hinc sequi, nullius unius ubicationis realis negationem posse adæquatè constituisse spatium imaginariū. Ratio est clara, nam spatium imaginariū debet esse immobile, nulla autem una negatio ubicationibus realis hoc habet, ipso facto enim quod sit negatio ubicationis realis tolli alicubi potest, cum quidquid est reale, possit alicubi poni à parte rei, positâ autem re; tollitur ibi ubi ponitur illius negatio, alioqui simul esset ibi res, & non esset.

Spatium ergo imaginariū adæquatè sumptum conflatur ex partibus omnibus negationum non tollibilibus, nullo autem loco non sunt hujusmodi partes negationum, sed quaquaversum diffunduntur cum ibi necessariò sint, ubi non sunt ubicationes quas negant: necessariò etiam permanent, cum ibi non possint esse ubicationes & formæ, ut jam ostendimus. Ubicatio itaque Romana Petri ex essentiâ suâ petit figere Petrum partibus non tollibilibus negationum aliarum ubicationum, ut ubicationis Leodiensis, Parisiensis, Mexicanæ &c. quæ negationes sunt, & essentialiter petunt semper esse Romæ; ubicatio Parisiensis figit rem partibus illius negationum aliarum ubicationum, quæ partes sunt Parisiis, & sic de aliis omnibus: nulla tamen ubicatio figit rem suæ negationi, ut ubicatio Romana negationi ubicationis Romanæ, cum hæc, positâ ubicatione, tollatur,

SECTIO



SECTIO III.

Objectiones contra hunc modum explicandi spatium imaginarium.

catur per formam, & forma vicissim per materiam, actus per potentiam, & potentia per actum, & sexcenta hujusmodi, quæ passim in philosophiâ occurrunt.

Resp. itaque (quod fusius in Logicâ declaravi, dum de egressu in Demonstratione) non omnem circulum in scientiis esse vitiosum: cum enim natura circulos fecerit in asserendo, duas scilicet à se invicem dependentes, Philosophus subinde sine vitio circulos quosdam scientificos facit in his naturæ circulis explicandis, præsertim si alterius extremi major aliunde habita sit notitia, quod in præsentî contingit, disp. enim 18. Logicæ, dum de negationibus ostensum jam fuerat, quæ negationes erant tollibiles, quæ non, quæ ex parte tantum auferibiles, quæ ex toto, & reliqua declarata, quæ ad earum cognitionem erant necessaria. Hac ergo negationum notitiâ aliunde habitâ, non incongruè modò, vel ubicatio, vel alia quæcunque res positiva, quæ necessariam cum iis habet connexionem, per easdem explicatur. Deinde dum dicitur ubicatio esse applicatio ad spatium imaginarium, spatium sumitur tantum generativum, id est, ad spatium quocumque demum illud fuerit, quo penitus inspecto, illi in particulari, quod ad hoc munus aptissimum censetur, clarius applicatur ubicatio.

Quæres, cur hæc negatio, cum existat à parte rei, vocetur spatium imaginarium? Resp. cum nos abstractivè res cognoscentes, & per species alienas, non concipiamus negationes saltem communiter, nisi ad modum rerum positiviarum, quas videmus, vel experimur, utpote per quarum species negationes repræsentantur, imaginamur hanc negationem vel instar aëris, vel alterius corporis, & spatij veri, ac realiter extensi, ac propterea vocatur spatium imaginarium. Quod autem objici hic posset, postâ re aliquâ in rerum natura, tolli ubique illius negationem, contrarium ostensum est in Logicâ d. 18. sec. nona.

SECTIO IV.

Sitne Deus in spatijs imaginarijs.

Prima sententia est negativa: ita S. Bonav. in 1. d. 37. 1. p. dist. a. 2. q. 2. Scotus in 1. q. 17. Richardus in 1. d. 37. a. 1. q. 7. Capreol. d. 37. q. unica. ad. 4. Scoti. Val. 1. p. d. 29. c. 23. & 4. Granado 1. p. q. 5. d. 3. l. 2. Monæus d. 1. c. 2. Fasolus 1. p. q. 2. a. 2. d. 3. Oviedo cont. 15. Phy. p. 3. n. 5. Tanner. 1. p. d. 2. q. 2. dub. 4. licet hic facere videatur quæstionem de nomine.

Secunda sententia affirmat Deum esse in spatijs imaginarijs: ita Major in 1. d. 37. q. 2. & in 2. d. 1. q. 1. Sorus 1. 4. Phy. q. 2. Cajet. in cap. 12. Joann. Suarez d. 30. Met. f. 7. n. 30 Fonseca 1. 5. Met. c. 15. q. 9. l. 4. Molina 1. p. q. 8. a. 1. d. 3. Valen. 1. p. q. 8. p. 1. Lessius de Perf. Divinis. l. 2. c. 2. Hurtado d. 14. Phy. l. 4. Arriaga d. 14. Phy. l. 4. n. 69. P. Raynaud. d. 7. q. 1. a. 6. Albertinus in Prædicam. ubi, q. 2. Arrubal, Gamma-chæus, Beccanus, & alij.

Hæc sententia omnino est amplectenda. Dico itaque cum auctoribus secundæ sententiæ Deum esse in infinitis spatijs imaginarijs extra cælum inimensum diffusus.

Probatur primò ex illo Job. 11. v. 8. ubi de Deo dicitur, excelsior cælo est, & secundum communem interpretum sententiam sermo illic est de immensitate Dei. Deinde, canit Ecclesia, quem rotus non capit orbis: ergo censet Deum diffundi ultra orbem, & esse intimè præsentem & penetratum actu cum spatijs illis imaginarijs, quæ supra cælum empyreum inimensum protendantur.

R. P. Th. Comptoni Philosophiæ

Ff 3

Idem

I. Objicies primò: hæc ipsa negatio est alicubi, & correspondet spatio imaginario, ergo est in loco aliquo & spatio, ergo non est locus ipse & spatium imaginarium. Contrâ primò, idem in omni sententia fieri potest argumentum, sive spatium imaginarium dicatur Deus, sive illa non-repugnans, negatio Chimææ, aut aliud quidlibet, eodem enim modo argui posset esse alicubi. Respondetur itaque, cum hæc negatio sit fundamentum ipsum, seu locus, & quasi mensura & capacitas omnium aliarum rerum, non esse opus ut sit in aliquo alio tanquam in loco: sicut enim ubicatio, cum sit locus intrinsecus, non requirit alium locum intrinsecum; ita nec hæc negatio, cum sit locus extrinsecus, requirit alium extrinsecum. Cum autem dicitur, quidquid est, debere esse alicubi, seu in loco, intelligitur de eo quod non est locus.

Objicies secundò: hæc negatio est negatio Chimææ, ergo incidimus in sententiam quam sexto loco supra impugnavimus. Antecedens probatur, hæc negatio est negatio ubicationis Romanæ hic, seu Leodij, sed Ubicatio Romana Leodij est Chimæra, cum implicet ubicationem Romanam esse Leodij, ergo. Resp. negando antecedens, ad probationem, distinguo majorem, est negatio ubicationis Romanæ hic in actu quasi signato, nego majorem; in actu exercito, concedo; hoc est, negatio quæ est hic, negat hic, seu hic excludit non ubicationem Romanam aptam hic existere, sed tantum ubicationem Romanam secundum se. Unde hæc negatio, licet in infinitum diffusa, ubique dicit idem in actu quasi signato, nempe, negare illam formam, at in actu exercito, variatur secundum singulas sui partes, cum singulæ essentialiter negent illam in diverso loco, ut negatio Londinensis negat eam Londini, negatio Cantabrigienfis Cantabrigiæ &c.

Exemplum hujus rei clarum est in cognitione ejusdem ubicationis: ponimus itaque dari actum intellectus hic repræsentantem ubicationem Romanam: actus iste in actu exercito repræsentat ubicationem Romanam hic, seu hic est repræsentatio illius, non tamen in actu signato, id est, ita ut repræsentet ubicationem Romanam Leodij, seu hoc complexum, nempe ubicationem Romanam existentem Leodij, tunc enim repræsentaret Chimæram, & si esset judicium judicans ubicationem Romanam esse hic, esset actus falsus; non tamen si hic appellet super actum, non objectum, ut si actus hic judicet ubicationem Romanam Petri existere, seu Petrum esse Romæ. Idem est de hac negatione ubicationis Romanæ hic.

Objicies tertio: per hunc modum explicandi spatium imaginarium incurri circulum; si quis enim petat quid sit spatium imaginarium, responderetur esse negationes non tollibiles ubicationum realium: si quis ulterius petat, quid sit ubicatio realis, responderetur esse modum applicantem corpus ad spatium imaginarium, sicque est perpetuus circulus.

Sed contrâ, quæro ego vicissim ab iis, qui hoc objiciunt, quid sit Anti-Christum posse existere: respondent, posse tollere negationem sui. Inquiro ulterius, quid sit negationem Anti-Christi posse tolli? respondent, Anti-Christum posse existere. En ut propriis telis confodiuntur, & suo se claudunt circulo. Idem est, ut supra ostendi, dum materia explicatur per formam, & forma vicissim per materiam, actus per potentiam, & potentia per actum, & sexcenta hujusmodi, quæ passim in philosophiâ occurrunt.

Locus extrinsecus non est in loco extrinsecus, sicut nec intrinsecus in intrinsecus.

Objicitur hæc negationem esse negationem Chimææ.

Diverse partes negationis negant eandem formam.

Res explicatur exemplo actus intellectus.

Particula hic appellat supra actum non supra objectum.

Objicitur incurri circulum.

Retorqueatur obiectio.

VI. Natura circulos facit in essendo, Philosophus in explicando.

VII. Cur negationes istæ vocentur spatium imaginarium.

I. Prima sententia negativa.

II. Secunda affirmativa.

III. Conclusio affirmativa.

IV. Probatur obiectio.



V. Probatur secundum ex Patribus.

Idem secundum probatur ex Patribus, qui ex illo Job, & similibus scripturae locis docent, Deum esse intra omnia, & extra omnia, intrinsecum, forinsecum, circumfusum &c. qui loquendi modi passim reperiuntur apud S. Hieronymum. in c. 66. Isaia, v. 1. S. August. in appendice de essentia Divinit. & alios. S. Dionys. de Divin. nominib. cap. 1. Deus, inquit, in caelo est, atque in terra, in mundo, circa mundum, supra mundum, & supra caelum. & c. 9. sic habet, Deus extrinsecus supra omnem magnitudinem funditur, & supraextenditur. S. Greg. homil. 17. in Ezech. Deus, inquit, est interior, & exterior replendo interior, circumdando exterior. Ex quibus aperte constat hanc fuisse mentem, & communem sensum sanctorum Patrum, tam clare enim his in locis loquuntur, ut de eorum mente dubitare nemo possit, nec aliter eos intelligere, nisi eorum verba in peregrinos, & improprios sensus distorquendo.

VI. Probatur tertio ratione.

Tertio probatur ratione, Deus actu est immensus, ergo actu est in infinitis spatiis imaginariis extra caelum in immensum diffusus, id est, talem habet praesentiam, ut, re aliqua creatâ supra caelum empyreum, esset Deus ipso facto illi intimè praesens, absque eo quoddam novum locum acquireret: alioqui Deus mutabilis foret quoad locum, quod & inintelligibile est, & Deo indignum.

VII. Sequetur Deum moveri posse successivè.

Conf. sequeretur Deum moveri posse successivè, ut si mundus hic totus mutaret locum, & moveretur versus unam partem, tunc enim Deus (cum intimè illi praesens necessariò sit) unâ cum mundo mutaret locum successivè, quod est moveri: Conf. secundò, sequeretur ulterius, Deum posse esse in duobus locis discontinuis, ut si crearet alium mundum, vel corpus quodcunque, intervallo aliquo à caelo empyreo disjunctum, cui, ut dixi, Deus necessariò, secundum omnes, debet esse intimè praesens. Conf. tertio, si in hoc casu alter ex illis mundis annihilaretur, vel Deus maneret ubi antea mundus erat, vel non; si primum, habemus intentum, si secundum, ergo verè desineret Deus esse in loco, sicque realiter mutaret locum.

VIII. Quarta conclusio probatur.

Probatur quartò, si homo quispiam collocaretur supra caelum empyreum, ita ut pedibus illud tangeret, posset Deus corpus illius hominis annihilare, nullâ factâ mutatione in ejus anima, ergo anima illa esset in spatio imaginario, ergo & Deus, esset enim animæ illi intimè praesens, ergo & in eodem loco esse potest, licet nulla ibi anima existat.

IX. Quinta probatio.

Probatur quintò, Deus existit ante omne tempus reale in tempore imaginario, alioqui non extitisset verè ante mundum, quod nullo modo dici potest, ergo similiter modò existit in spatiis imaginariis, nulla enim ratio differentiae videtur assignari posse.

X. Non Deus spatii imaginarii coexistit, quæstio est de nomine.

Est ergo Deus actu in spatiis imaginariis super caelos in infinitum diffusus, quod nihil aliud est quam Deum per suam immensitatem esse actu intimè penetratum cum negationibus illis ubicationum realium ubique diffusis, & ab iis indistantem. Utrum autem dici debeat iis coexistere, quod tamen præcipuè urget Vasquez, Oviedo, & alij communiter, est quæstio de nomine; si enim per coexistere intelligatur vera duorum existentia simul, ut communiter sumitur, sic non potest propriè Deus dici coexistere spatiis imaginariis, negationes quippe in quibus consistit ratio spatii imaginarii, propriè non existunt, cum non sintentia, sed non-entia, & consequenter non existentia, sicque propriè nec Deus coexistit ipsis, nec ipsæ Deo: eo tamen modo quo existunt, dicitur Deus iis coexistere. Unde dicunt Philosophi negationem Anti-Christi & negationem alterius solis jam sibi coexistere. Eadem est difficultas de tempore imaginario, cui si adversarij conce-

dant Deum coexistere, quidni idem fateantur de loco similiter imaginario?

Dices; affirmare Patres Deum ante mundum creatum non fuisse in loco, nec nisi in seipso, sic enim loquitur Tertullianus, S. Aug. S. Bernardus, & alij. Contrà, etiam dicunt Deum jam non esse in loco. Vel ergo volebant, non ita eum esse aut fuisse in loco, ut illo clauderetur, vel non fuisse in loco positivo & reali.

Solum noto, in nostrâ sententia de spatio imaginario, quoddam scilicet consistat in negatione, facillimè explicari quo modo Deus sit in spatiis imaginariis, in quo tamen alios (eos præsertim qui affirmant spatium imaginarium nihil esse, nisi merum figmentum) plurimum video laborare, & ubi in omnem se partem verterint, ut se ex difficultatibus occurrentibus extricent, vix tandem commodè se expediunt.

SECTIO V.

Possunt res esse, & nullibi esse.

Prima sententia est affirmativa: ita Vasq. 1. p. d. 188. n. 25. & 27. Monæus d. 1. c. 8. Mæratius 1. p. d. 19. s. 1. n. 6. Oviedo Con. 15. Phyl. p. 7. quam etiam opinionem sequuntur docti quidam recentiores, licet inter se divisi: alij enim dicunt, rem tantum indivisibilem, ut Angelum, existere posse nullibi, seu sine omni ubicatione, non tamen hominem, aut rem ullam compositam. Alij tamen, etiam hominem, & alias res compositas quascunque dicunt absolvi posse à loco.

Secunda sententia, quæ mihi semper visa est longè probabilior, affirmat rem nullam, sive ea simplex sit, sive composita, posse, etiam divinitus esse, & nullibi esse, seu privari omni ubicatione, & absolvi, ut aiunt, à loco: ita Suar. l. 4. de Angelis, c. 3. n. 5. Arrubal c. 12. c. 1. Molina q. 52. a. 1. disp. un. memb. 4. asserens intelligi non posse Deum producere aliquid, & nullibi illud producere, Coninck 3. p. q. 75. art. 4. d. 1. n. 72. aiens id esse inconceptibile. Bubalus q. 52. de Angelis, ar. 1. q. 2. diff. ultima. Hurt. d. 12. de Anima. f. 6. Arria. d. 14. Phyl. f. 4. n. 72. & idem sentire videtur Val. 1. p. d. 4. q. 3. p. 2. & alij.

Probatur primò: nam, ut bene Mol. citatus, planè videtur inconceptibile, ut aliquid producatur, & non in aliqua parte spatii imaginarii, seu ita ut non sit intimè praesens negationibus in infinitum diffusis. Unde sancti Patres, Nazian. Aug. & alij passim dicunt, quod nullibi est, non est. Et alioqui diceret alius posse simul parietem esse album, & non esse album, vel saltem posse Petrum assentiri & dissentire eidem objecto, amare illud simul & odisse: & addet, corrigendam esse imaginationem, qua hoc concipitur esse impossibile.

Probatur secundò: nihil creatum existere potest, cui saltem Deus non sit intimè praesens, ergo existere nulla res potest, quin existat alicubi. Antecedens videtur aded certum, ut licet P. Oviedo affirmet posse rem spoliari omni ubicatione, non tamen audeat negare rem omnem creatam necessariò esse intimè præsentem Deo. Imò Cont. 15. p. 8. n. 3. citat. P. Vasq. (qui etiam tenet contrariam sententiam) 1. p. d. 28. asserentem esse veritatem catholicam Deum esse intimè præsentem omni creaturæ, neque illi esse liberum esse in unâ portus, quàm in alia, ex suppositione quoddam illam creaverit.

Consequenter itaque, quoddam sc. nulla res existere possit, quin existat alicubi, probatur, si Deus creaturæ illi, Angelo ex. g. sit intimè praesens, ergo & Angelus est intimè praesens Deo, hæc enim sunt correlativa

XI. Quomodo Deus ante mundum conditus fuerit in loco.

XII.

I. Prima sententia est affirmativa.

II. Negatur nulla esse, & nullibi esse.

III. Probatur primò, quia contrarium est inconceptibile.

IV. Res quævis necessariò est intimè præsentis Deo.

V.



lativa ergo creari nequit res ulla, absoluta ab omni loco, mutua enim presentia est presentia ex utraque parte eorum quae sibi invicem sunt presentia.

VI. Conf. Angelus ille, ut intimè praesens Deo non est praesens illi ut existenti ubique, sic enim esset imensus, ergo est intimè praesens Deo, ut habenti talem virtualement determinationem, ergo Angelus tali virtuali Dei determinationi peculiariter respondet, ergo certam & determinatam habet ubicationem, per quam univirtuali Dei determinationi respondeat, potius quam alteri.

VII. Dices cum P. Oviedo citato; Angelum esse praesentem Deo, non per ubicationem aliquam in Angelo receptam, sed per ipsam Dei immensitatem, quae essentialiter est ubique, & omne creatum necessario complectitur. Contra, Angelus ille, ut dixi, non est praesens toti immensitati Dei extensivè, sic enim esset ubique, ergo peculiariter correspondet tali virtuali Dei determinationi, inquiri ergo per quid non per suam entitatem meram, Angelus enim indifferens est ex se, ut tam huic virtuali determinationi immensitatis Dei respondeat, quam alteri, nec etiam ad hanc peculiariter determinatur per immensitatem Dei, haec enim est similiter indifferens ut Angelus tam huic ejus virtuali determinationi respondeat, quam illi, ergo aliqua dari debet determinatio, per quam huic potius virtualitati immensitatis Dei respondeat, quam alteri.

VIII. Conf. primò, sicut Deus primò Angelum creavit correspondentem virtualitati A, potuisset ipsum creare correspondentem virtualitati B, ergo aliquid habere debet, per quod huic virtualitati immensitatis primò respondeat, non illi. Conf. secundò ponamus Deum duas tantum res creare, solem sc. & lunam, vel Deus est utrique praesens per eandem virtualement sui determinationem, vel per diversam: si primum, ergo res illae sunt sibi etiam intimè praesentes, si secundum, per tantum spatium inter se distant, ergo neuter est à loco absolutus.

IX. Probatur tertio: Si Deus ubicationem à magnà parte solis nobis obversâ tolleret, vel nos adverteremus, aut saltem Deus videret hiatus & vacuum in sole, vel non: si non, ergo eodem adhuc loco remanet pars illa solis quo antè, si ita, ergo reliquit locum priorem, ergo habet aliquam ubicationem. Idem argumentum fieri posset de quinque Angelis, quorum singuli occuparent spatium palmare, & ita rectà linea sese invicem immediatè sequerentur, ut ne minimum inter eos intervallum relinqueretur, si enim Deus ab Angelo aliquo intermedio ubicationem tolleret, vel videret spatium aliquod vacuum, quod priùs occupatum fuerat ab Angelo, vel non, & cætera quae supra.

X. Probatur quartò: specialiter contra eos qui asserunt, non Angelum tantum, aut rem simplicem, sed quodvis etiam compositum posse absolvi à loco, quod sanè videtur impossibile ipso facto, enim quod ubiatio tollatur ab homine ex. g. periret unio inter animam ejus & corpus, cum omnis unio partium essentialiter supponat approximationem, & unio informationis intimam praesentiam, pereunt autem ubicatione, anima & corpus non amplius sibi sunt intimè praesentia, ergo.

IX. Dices; licet non sint intimè praesentia spatia, sunt tamen intimè praesentia sibi, quod sufficit ad unionem, haec quippe solum requirit, ut partes sibi sint praesentes, non spatia. Contra, implicare videtur contradictionem, ut duae aliqua res sint sibi intimè praesentes, & non spatia, cum aliud nihil sit esse duo sibi intimè praesentia, quam esse in eodem spatia, eo enim ipso quod uni tertio sint intimè aliqua duo

praesentia, sunt intimè praesentia sibi. Conf. si ubiatio tollatur à domo ex. g. vel partes domus retinent tantam inter se distantiam, quantam antè, ita ut restum ex. g. se junctum sit à fundamentis, & parietes à se invicem, vel non: si ita, ergo retinet ubicationem, cum distantia essentialiter dicat situm localem, si non, ergo perit domus, ut videtur manifestum.

Probatur quintò: argumento desumpto ex S. Augustino 11. de Civit. c. 5. implicat rem aliquam existere, & non in tempore aliquo, vel vero, vel imaginario, ab instante sc. aeternitatis usque ad hoc instans, quia nimirum tempus imaginarium ab hoc instante fuit à parte antè in infinitum, seu sine ullà limitatione diffusum, sed non minus locus imaginarius, seu negationes illae, de quibus supra, dum de spatio imaginario, sunt infinite diffusae quoad spatium, ergo: Quia tamen majorem à nonnullis recentioribus negari video, ad illam probandam statuum sec. sequentem.

SECTIO IV.

Possuntne res esse, & nunquam esse, seu sine omni duratione.

Conclusio: implicat rem nullam existere, etiam divinitus, & non in aliquo tempore, vel vero, vel imaginario, seu quin de eà verum sit unum ex his tribus affirmare, Fuit, Est, vel Erat. Ita auctores sec. praecedente, n. 2. citati.

Probatur primò, quia (ut l. praecedente, n. 13. dixi de spatio) inintelligibile videtur aliquid existere, quin unum ex illis tribus ei competat, Fuisse, Esse, aut Fore; quod P. Arriaga d. 14. Phy. l. 4. n. 73. ait esse tam evidens quam duo & tria esse quinque, & à nemine negari posse.

Probatur secundò, ponamus Deum producere Angelum aliquem, vel hominem sine duratione, seu, quod eodem recidit, in nullo instante aut tempore: sicut hominem illum sine duratione produxit, ita poterit eum destruere, & homo ille mori, hoc autem fit subtrahendo ab eo concursum, haec verò omnia destrui, mori, subtrahere concursum, essentialiter supponunt successionem, seu existere negationem illius rei, quae fuit: alioqui quare Anti-Christus modò, licet non existat, non tamen est mortuus? Et licet secundum plurimos, res aliqua produci possint ab aeterno, secundum omnes tamen nihil potest ab aeterno destrui, quia destrui dicit successionem, seu non esse aliquid quod fuit. Cum ergo certum sit posse Angelum illum annihilari, & hominem destrui, ac mori, manifestum etiam videtur necessario intervenire durationem & successionem, ergo nihil potest esse sine omni duratione.

Probatur tertio, implicat secundum omnes ut quovis instante non sit vel Angelus, vel illius negatio, seu quod Angelus quovis instante nec sit, nec non sit, cum sint contradictoria, sed in contrariâ sententiâ sequitur in aliquo, imò pluribus instantibus, nec Angelum esse, nec illius negationem, ergo. Probatur minor, à S. Michaële ex. g. qui duravit usque ad instans B, tollat Deus durationem, in illo instante non existit S. Michaël, ut est manifestum, & concedunt adversarij, cum existere in illo instante sit habere durationem ipsum affigentem tali instanti, sed nec existit illo instante ipsius negatio, nam S. Michaël illo instante non destruitur quoad substantiam, ergo in instante illo B nec existit S. Michaël, nec illius negatio. Hoc argumentum non eos tantum urget, qui admittunt negationes, sed alios etiam,

XII. Quidquid est necessarium est in aliquo tempore, ergo in aliquo loco.

I. Nequit vel esse, quin de eà affirmari possit, Fuit, Est, vel Erat.

III. Sequeretur rem illam posse destrui & non posse.

IV. In quovis instante esse debet vel res, vel illius negatio.

VI. Angelus ille non est praesens Deo nisi existenti ubique.

VII. Non potest Angelus esse intimè praesens Deo sine ubicatione.

VIII. Clarus hoc videtur, si Deus duas tantum res crearet.

IX. Si Deus à parte solis nobis obversâ tolleret ubicationem, non appareret hiatus.

X. Ostenditur res compositas non posse privari ubicatione.

IV. Duo esse sibi intimè praesentia est esse praesentia eidem spatio.



omnes enim admittunt aliquid negationibus æquivalens, ut formas purè possibiles &c. de quibus idem formari potest argumentum.

V.

Probatur quartò, & suppono negationes fluere, & esse affixas tempori per se, vel, si hoc negetur, argumentum procedit de eo, per quod negationes determinantur, ut sint hoc potius tempore, quàm illo. Implicat rem existere, & non tollere, vel impedire (si producat ab æterno) negationem sui, sed si producat res sine duratione, nullam negationem tollit, ergo. Probatur Minor, si aliquam tollat, tollit omnes nempe præteritas, præsentis, & futuras, nec enim est major ratio cur unam tollat quàm aliam, cum non magis uni sit applicata, quàm alteri, imò nulli applicatur, cum applicetur seu determinetur per durationem. Nec etiam tollit omnes, si enim tollat vel impediatur negationem quæ fuit, aut fuisset ab æterno, ergo fuit res ab æterno, cum illi negationi applicetur. Idem argumentum fit de quacumque negatione in particulari, ut cuius rem consideranti facile constabit.

Sequeretur rem existere & non tollere negationem sui.

VI.

Sequeretur posse hominem, vel Angelum esse naturaliter in gratia & peccato.

Probatur quintò, si Deus Angelum aut hominem conservaret sine duratione, sequeretur posse in eo esse assensum & dissensum de eodem objecto, amorem & odium, gratiam & peccatum naturaliter, imò & posse Deum homini in peccato existenti, dare unionem Hypostaticam absque eo quòd peccatum destruat, cum juxta adversarios, hæc non repugnent nisi rei in certo loco ac tempore, quòd hic non invenitur.

Sextò, sequeretur etiam si Deus alicui promisisset se eum nunquam, seu nullo tempore vel instante destructurum, posse illum nihilominus destruere, si nimirum durationem ab eo & aliis tollat, sic enim, stante etiam promissione, eum destrueret, & tamen nunquam destrueret. Pleraque ex his argumentis probant etiam rem non posse existere sine omni ubicatione.

## SECTIO VII.

Objectiones contententes posse rem esse, & nullibi, ac nunquam esse.

I. Obijciunt rem esse priorem ubicatione, ergo potest esse sine illa.

Obijciunt P. Oyiedo Cont. 15. Phy. p. 7. n. 2. res producit suam ubicationem & durationem, ergo est prior illis, ergo ab iis independens, ergo existere res quævis poterit, etiam si duratio omnis, & Ubicatio ab ea separetur. Hoc etiam argumento utuntur docti quidam recentiores, eoque putant rem confici.

II. Non urget.

Hæc ratio nunquam mihi visa est efficax: primò enim eos tantum urget, qui docent rem producere suam ubicationem; si ergo quis hoc neget, quod multi faciunt, argumentum nullam habet vim, ut constat.

III. Variis instantibus infringitur vis argumenti.

Deinde hoc argumentum in multis à suis auctoribus solvi debet: ex.g. nullus existere potest, & non quovis instante habere vel gratiam, vel negationem gratiæ, ut est manifestum, sed potest ille esse utraq; prior, & independens ab iis, independentiâ antecede-

rente, ergo. Major est certa, sunt enim contradictoria: minor itaque probatur, homo justus pro aliquo priori est indifferens ad peccandum; vel non peccandum, ergo in illo priori est indifferens ad gratiam & illius negationem, si enim non peccet, habebit adhuc gratiam, si peccet; habebit illius negationem, ergo hic apertè ostenditur quomodo possit quis esse prior iis, quorum utroque non potest carere, vel divinitus, ergo & prior esse poterit ubicatione & duratione, licet sine iis nec divinitus esse possit. Idem est de calore, frigore, &c. & illorum negationibus. Idem latè supra dum de dependentiâ à posteriori d. 20. f. 2. ostendi in causâ necessariâ & liberâ, & aliis quæ non est opus hic repetere.

Obijciunt secundò: Ubicatio aut duratio non est de intrinseco conceptu seu constitutione rei, Angelus v.g. ergo iis ablatis, non sequitur rem debere perire, cum adhuc maneant prædicata illius intrinseca. Resp. res frequenter ab iis in existentia dependere, quæ non sunt de intrinseco illarum conceptu seu constitutione: sic enim duæ partes minimi naturalis, in homine saltem, aut alio animali perfectio, ita in existentia à se invicem pendent, ut, unâ ablatâ, alteram perire necesse sit. Quid ergo verat ut etiam in ordine ad Divinam potentiam, unum hoc modo ab aliopendeat?

Obijciunt tertio: non sequi duo contradictoria ex eo quòd res existat sine ubicatione aut duratione, ergo hoc Divinæ potentie non est denegandum. Contra, nec etiam assentire & dissentire eidem, amare idem & odire, gratia, vel unio Hypostatica & peccatum sunt expressè & formaliter contradictoria, & tamen vel ipsi adversariis assentientibus, non possunt eidem simul competere.

Dico itaque, licet non sint contradictoria formaliter, esse tamen arguitivè, cum enim talis sit natura spatij (idem est de tempore) ut undique in infinitum diffundatur, ex eo quòd res aliqua existat, & alicui ejus parti non coexistat, sequitur illam existere & non existere: sicut propterea existere nihil potest, quin coexistat Anti-Christo vel illius negationi; quòd scilicet, ut utrumque horum simul esse, ita alterum non esse impossibile est. Unde sicut propterea negant adversarij posse quempiam amare idem simul & odire, quia hoc conceptu est difficile, ita cum non minus, imò magis inconceptibile sit posse aliquid existere, & non in aliqua parte spatij imaginarij, aut non coexistens Deo, à fortiori hoc Philosopho est negandum.

Obijciunt quartò: potest sol divinitus existere sine luce, ignis sine calore &c. ergo & Angelus sine ubicatione, aut duratione, seu nullibi & nunquam. Resp. negando consequentiam, ex eo sc. quòd spatium imaginarium & tempus sint infinite diffusa, ut sæpè dictum est, quod luci non competit. Unde si lux esset in infinitum diffusa sicut spatium, dicerem nec divinitus existere posse solem quin sit intimè præsens alicui parti lucis: imò si unio etiam lucis esset simul cum eadem luce undique per infinita spatia extensa, adderem nec divinitus creari posse solem, quin luce informetur.